



**Ecclesiasticae Historiae, Et Dicta, Inprimis Memorabilia,  
Christi, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Doctorum,  
& hostium veteris Ecclesie: singulari iudicio, & pio studio,  
ex Eusebio Cæsariensi ...**

**Eusebius <Caesariensis>**

**Haer. Chr. Egen., 1571**

**VD16 E 4284**

20. Lvcivs Qvidam Ad Vrbicium, à quo interfici iussus fuerat. Ibidem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69335](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69335)

*Supplicium ad seuum multos perduxit inanis  
Aura, & habet Satanas martyras ipse suos.* „ „

*Ita Cyprianus: Causa facit martyrem, non  
martyrium. Et Apollinaris: Vbi non est veritas  
Christi, ibi non est veritas martyrij.*

19. POLYCARPVS AD HERO-  
dem proconsulem, iubentem vt Chri-  
sto conuicia faceret, eumq; ab-  
negaret, dixit:

**O** Ctoginta & sex annis ei (Christo) ser-  
uio, & nihil me læsit vnquam, quomo-  
do possum maledicere & blasphemare  
eum Regem, qui salutem mihi dedit?

*Cùm iubet Herodes vt Christi dogmata vera  
Abneget, hæc sanctus vir Polycarpus ait:  
Huic ego sex annis Domino, lustrisq; bis octo  
Seruio, non vnquam qui mihi damna dedit.  
Quí potero Regem tam blasphemare benignum, „ „  
Contra illum ingratus, vel maledicta loqui? „ „  
Nil mihi qui damni fecit, non obfuit vnquam? „ „  
Sed mihi Rex semper, vita salusq; fuit. „ „*

20. LVCIVS QVIDAM AD VR-  
bicum, à quo interfici iussus fue-  
rat. Ibidem.

**G**ratias ago, quòd me nequissimis domi-  
nis absolutum, ad bonum & optimum  
patrem, & regem omnium remittis  
Deum.

*Lucius hæc crudo referebat verba Tyranno,  
Tollere cum sanctum præcipit ille virum:  
Urbici lato dico tibi pectore grates,  
Tradideris rigida quòd mea membra neci.  
Nanq̄ malis liber dominis, ego mittar ad ipsum,  
Qui meus est Dominus, Rex q̄ pater q̄, Deum.*

21. AD EVNDEM MINI-  
tantem bestias.

**C**Um proconsul bestias ei minaretur, in-  
quit: Adhibeantur sanè, Nobis enim  
immobilis stat sententia, nec possum  
de bono ad malum per pœnitudinem com-  
mutari. Melius autem erat, hi si mutarentur  
ad bona, qui perseuerant in malis.

*Lucius hæc sanctus referebat dicta Tyranno,  
Cum rabidis pardis obijciendus erat:  
Seui adducantur Pardi licet atq̄ leones,  
Ut mea crudeles viscera & ossa vorent:  
Firma tamen fidei manet hæc sententia nostra,  
Quam poterunt vestra non abolere mina.  
Ad mala mutari leuiter non possumus vnquam,  
Linguere & amplexi quæ bona ritè sumus.*